



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.9. Damnatae matris poenae filiae ostensae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

stato, sine lumine coguntur vigilare. 7. Sed iam insuper Virgini illi dux illius quamdam mirabilem dæmonum aliorumq; damnatorum societatem demonstravit. Ut enim Beati maximo gaudio perfunduntur, dum suos in cælo amicos, fratres, parentes, dum tot sanctos & homines & angelos, & ipsum Christum aspiciunt; ita tunc illa vidit mœstissimum contubernium damnatorum se mutuò execrantium, atque detestantium, præsertim eorum monstrorum, quæ supra atque intra ingentem fornacem, tamquam sulphureum quoddam stagnum se se mutuò, & homines damnatos cruciabant. Si quidem sunt spiritus, qui in vindictam creati sunt; & Christo teste, ignis ille paratus est diabolo & Angelis eius: inter quos utique horribilius est versari, quàm inter bufones, serpentes, viperas, & dracones. Quamvis neque istorum formæ deerunt, in stagno illo, & thermis utique calidioribus, quàm thermæ dicantur fuisse Neronianæ.

Eccli. 39.
33.
Matth.
25. 41.

IX.
DAMNA-
TAE MA-
TRIS POE-
NAE FI-
LIAE O-
STENSAL.

Hæc omnia, atque alia talia conspexit in inferno Virgo illa, sed præ omnibus illi terribilissimum fuit, ob quod videndum eò perducta erat, mater scilicet illa, quæ in tantis delicijs ebrietatum, fornicationum, adul-

adulteriorum vixit, & quasi cælo applaudente sepulta est; atque ea propter filiam exemplo suo propemodum iam impulerat ad mores suos sequendos. Vbi enim propius ad fornacem adducta est; flamma cœpit clariùs relucere. Conspexit itaque interformidandas belluas, & monstra horrida matrem suam, in medio picis, sulphuris, & ebullientis lacus igne, non tantùm ardentem, & instar diuitis illius *sepultam in inferno*, atq; collo tenus demersam, ita ut nullum ei posset extrinsecus accedere refrigerium; sed etiam ipsam in se ardentem, flammis ex ore, oculis, auribus, omnibus poris vndiquè emicantibus. Nec enim solùm ignis foris applicatur corporibus damnatorum, ut suo contactu cruciet; sed ipsa etiam corpora ardent, sicut intus & foris ferrum ignitum, aut totæ ardentes prunæ; ita enim Isaias indicat: *Nutrimenta eius (Topheth) ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam.* Ligna enim illa sunt corpora damnatorum, ligna arida, & infructifera excindenda, & in ignem mittenda, ut prunarum instar ardeant. O qualis tunc erat aspectus matris illius! quæ oris eiulantis distortio? quanta

Luc. 16.

22.

Isa. 30. 33.

Matth. 30.

10. & 70.

19.

74 Cap. III. Damnata femina exemplo,

Matth.
16, 24.

toruitas oculorum? quæ totius vultus per-
turbatio? quæ summorum cruciatuum in-
dicia? quis stridor, quæ complosio manuum
& dentium? quantus foetor vermium Ache-
ronticorum? Tunc videns mater filiam,
haud secus ac olim diues ille petijt, vt La-
zarus linguam suam digito extremo in
aquam intincto refrigeraret, insanis clamo-
ribus filiã inclamauit inquiring: *Heu me, fi-
lia, de proprijs operibus hac patior, quia quasi
deliramenta mihi videbantur vniuersa, qua de
sobrietate erant: opera autem fornicationis, &
adulterij non mihi credebam esse tormenta;
ebrietatem verò & luxuriam non arbitrabar
esse pœnas: & ecce propter paruam libidinem,
quantam recipio gehennam, & sustineo pœnas:
ecce propter exiguas delicias quanta exsoluo
tormenta: ecce pro contemptu Dei, quales re-
cipio mercedes: apprehenderunt enim me vni-
uersa immobilia mala. Sunt enim omnia im-
mobilia, neque tolli possunt, quia æterna.
Pœna damni, seu priuatio æternæ gloriæ,
& omnium bonorum, quibus Beati fruen-
tur, æterna erit. O qualis cogitatio, videre
se ad summa illa bona à Deo conditam, &
omnem mundi gubernationem à Deo ad
meam aliorumque salutem directam; me
autem*

autem sponte, ob tam friuola bona, illa
neglexisse, contempnissse. Amisi cælum,
qualem regiam? Amisi beatorum societa-
tem, & jus supernæ ciuitatis. Exulabo æ-
ternùm. Amisi claram totius naturæ condi-
tæ cognitionem, cum ea cognitione Numi-
nis, quæ necessario ex illa resultat. Cuius
loco intellectus summè odio Dei & dolore
perturbatus, nihil iucundi potest cogitare.
Amisi omnem spem luminis gloriæ, visionis,
amoris, & gaudij beatifici. O damnum,
omnium damnorum maximum, est enim in-
finitum, quia infiniti boni amissio. Cuius
loco, non iam ego vel de bonis Dei, aut
meæ beatitudinis, aut gloria corporis dele-
ctor, sed perpetim crucior, de his omnibus
amissis, & omnibus in contrarium euenien-
tibus. Hæc semper mihi versantur ante o-
culos, nec mentem ab ijs possum auertere,
vnde existit in me incomprehensibilis tristi-
tia, conscientia me accusante & condem-
nante, quòd mea culpa gloriam illam,
quam facilè potuissem obtinere, amiserim;
& æterna supplicia promeruerim. Hæ co-
gitationes, hi acerbissimi mœrores vermes
sunt, quorum morsus est præcipuum meum
tormentum: ideoque tormento ignis præ-
ponuntur;

Isa. 66. 24 ponuntur; cùm dicitur: *Quorum vermis*
 Marc. 9. *non moritur, & ignis non extinguitur.* Crede
 44. mihi, filia, cùm ignis me inexplicabili mo-
 do extremè affligat, plus tamen cruciat ap-
 prehensio æternitatis tanti boni meâ culpâ
 amissi, & tanti supplicij illati, quàm ipse ig-
 nis. Hinc desperatio, ex desperatione fu-
 ror & odium Dei, ex odio maledicta & bla-
 sphemix. Ex sententia enim Iudicis, qui me
in ignem æternum misit, scio, pœnas meas
 numquam desituras. Si fumum, si caligi-
 nem, si ignem, si ardores, si foetores, si fa-
 mē, si sitim, si carcerem istum, si hanc soci-
 etatem, si dæmones insultantes & verberan-
 tes, tot annorum millibus tolerauero, quot
 guttæ in mari, arenæ in littoribus, & ato-
 mi in toto mundo sunt, nullus erit istorum
 tormentorum finis. Si tot mundos vacuos
 conderet Deus, eosq; centies hoc nostro ma-
 iores & capaciores, quot à prima creatione
 fuere in arboribus folia, in campis & terris
 omnibus gramina, immo puncta in cælo,
 etsi interuallo mille millium sæculorum,
 tantùm vnicam funderem lachrymulam,
 tamen priùs omnes illos innumerabiles
 mundos lachrymis implerem, & rursus om-
 nes euacuarem, quàm tormenta mea fini-
 rentur,

rentur. Immo si vel hac quasi infinita duratione peracta, saltem tunc ab his tantis malis liberarer, omnia tolerabilia forent; sed pro dolor status meus est status æternus, finis expers, & tam diu perennaturus, quam diu Deus, & Dei iustitia est perennatura; semper omnia reuoluentur, semper denuo erit inchoandū: *In æternum omnia iudicia iustitia tua*, monuit ille, sed non credidi. Nunc scio; quia experior. O mare, o abyssus ærumnarum! o æternitas! o æterna æternitas! Hæc sunt mea *immobilia mala*. Iuua enim me, filia, si potes: *Miserere mei, quæ ardeo igni, & ab ipso consumor: miserere mei, quæ in huiusmodi cruciatibus exanimor*. Cum autem filia, obstantes, immo ob ipsam æternitatis necessitatem ac legem, id facere non posset, vehementer commota ingemuit, & altissima voce exclamauit. Ad quem clamorem, qui in eadem domo erant, excitati, igneque accenso, accurrentes, omnia ordine, narrata audierunt, & contremuerunt.

Hinc Virgo constituit, patris, non matris posthac vestigia sequi, *cognoscens, multam esse bonorum retributionem operum, & malorum actuum turpis vitæ maximas esse poenas.*

Psal. 118.
160.

X.
INFERNVM
QVI CRE-
DIT, AVT
NON CRE-

nas.